

gressuri tabernaculum ad rem sacram facientiam, prius contemplari et lavare se debebant in labro seu lavatorio aeneo, quod in eum finem præ fratribus erat positum et factum ex meris speculis mulierum tersissimis, ut in eo primo aspiciere, deinde tergere maculas suas possent. Et quid faciendum sacerdotibus novæ legis, qui rem longe diviniorem, imo Deum ipsum tractant? Imitentur itaque spirituali suo examine sacerdotes illos: imitentur hodiernos piscatores, qui de navi sua descendentes laverunt retia sua: antequam ad rem sacram pergant, examinent, laventque per poenitentiam semetipsos: descendant quotidie e negotiis externis in recessum cordis sui, et lavent ibi lacrymis ac poenitentia rete cordis sui.

CONCIO VIII.

QUÆ SUSPECTAM FACIANT SECTAM NOSTRORUM
HÆRETICORUM, ET FALSAM OSTENDANT.

- I. Quia nova: 1. Quia non antiquior centum annis. 2. Quia caret successione. 3. Quia caret missione. — II. Quia caret disciplina: 1. Quia excludit opera bona. 2. Quia excludit statum perfectionis. 3. Quia caret viris sanctis. — III. Quia caret certa fidei regula. — IV. Quia caret bonis navarchis: 1. Habet impios. 2. In doctrina inconstantes. 3. Plenos dolis et mendaciis. 4. Quia inter se discordes. — V. Quia eorum navis ex putridis asseribus. — VI. Quia nimis angusta.

THEMA.

Ascendens in unam navem, quæ erat Simonis.
Luc. V.

Si quis Jerosolymam navigaturus videret in littore duas naves eo soluturas, quarum tamen unam certo perituram sciret; absque dubio prius naves undique inspiceret, et serio deliberaret, utram ingredi deberet. Videmus in hodierno evangelio ad stagnum Genesareth duas naves: quæ spirituali sensu duas designant Ecclesias Christianorum, unam catholicorum, alteram hæreticorum; quæ ambæ quidem contendunt versus cœlestem Jerosolymam, sed una earum necessario peribit: quia unica est arca Noe, Ecclesia extra quam nulla est salus. Unde S. Cyprianus, c. V. de unitate Ecclesiæ ait: *Sinon potuit evadere quisquam qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam fuerit, evadet?* Viderit ergo unusquisque ne perituram ingrediatur navem. Porro non obscure indicavit nobis Dominus, quam intrare debeamus, dum ipse ascendit in eam quæ erat Simonis Petri, id est, catholicam et Romanam Ecclesiam, in ea enim Petrus ejusque successores gubernaculum tenere usque ad hanc diem. Unde

S. Ambr. serm. XI. ait: *Hanc solam Ecclesiam navem inscendit, in qua Petrus magister est constitutus.* Alteram porro navem quæ hæreticorum est, si bene inspiciamus, deprehendemus multis modis suspectam et certo interituram: uti nunc videbimus.

I. Quia nova (naves autem recentiores majus periculum habent quam probatæ) regnum Christi seu Ecclesia et fides illius indelebilis et inexpugnabilis esse debet, juxta id: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*, Matth. ultimo: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, Matth. XVI. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, Luc. XXII. *Et regni ejus non erit finis*, Luc. 1. Secta autem Lutheranorum et Calvinistarum nova est. Primo, quia non antiquior quam centum et paucolorum annorum: adeoque caret ætate debita. Ante ipsam non erant in orbe sectæ aliæ, nisi gentilis, Mahometica, Judaica, Græca, schismaticorum, et Hussitarum; quarum nullam placuisse Luthero, vel etiamnum placere Lutheranis certum est. Deinde, scimus originem Lutheranorum et Calvinistarum, auctorem, locum, tempus, occasionem, impugnatores, tumultus quos excitarunt. Auctor Lutherus, anno 1517. qui Wittembergæ occasione indulgentiarum a Leone X. concessarum, contra indulgentias primo debacchari, deinde plures addere errores incepit. Ante illum nemo unquam alius, nec ipse quidem Lutherus, fuit Lutheranus nec auditum vel per somnium nomen Lutheranorum. Quem enim quæso invenit suæ sectæ addictum? Ubi, quando, in quibus hominibus fuit illa secta?

Respondent aliqui, in sua secta fuisse infantes baptizatos, deinde simplices idiotas pontificiorum errorum ignaros, deinde moribundos alios quos qui in solo Christo confidebant, denique omnes qui papæ contradicebant. Sed nihil dicunt: Infantes ante Lutherum non Lutherani, sed ejus religionis erant, in qua nati et baptizati. Simples nulli adeo rudes fuere, qui nil scirent de aliis nostris dogmatibus. Moribundi non deficiebant a fide licet in Christi tantum meritis confiderent, principaliter scilicet et abstrahendo a propriis meritis. Adversarios papæ libenter eis concedimus, omnes videlicet hæreticos et impios.

Dicent, sectam suam aliquamdiu latuisse, sed contra. Primo, qui cum ubique passim semper fuerint inquisitores hæreticæ pravitatis, qui alias hæreses deprehenderunt, cur non deprehenderunt istam aliquando? Secundo, quia cum eorum secta incepit, nullus prodiit unquam, qui diceret se eandem sectam prius

coluisse; sed omnes quotquot eam amplexi sunt, prius catholici fuerunt, uti et ipsi hæresiarchæ, ac proinde omnes apostatarunt: jactantque ipsi se demum cæco mundo lucem invexisse, prædecesores omnes in tenebris ambulasse. Aliqua quidem horum hæreticorum dogmata jam olim dudum damnata sunt: sed integra eorum hæresis ante ipsos nusquam fuit. Tertio, quia si antiqua est eorum secta, probari debet ex antiquis patribus et scriptoribus, alias frustra, asseritur. Atqui nominent unum: Nonne omnes patres catholici fuerunt et scripserunt? Quarto, quia id contrarium est sacræ Scripturæ, quæ docet, Ecclesiam esse civitatem supra montem positam, Matth. V. Isa. II. Psalm. LXXI. Dan. 1. Rationi item, quia si latet, quomodo invenietur a quærentibus illam et fidem exoptantibus? Et quid prodesset mundo si lateret? Quomodo provisum fuisset hominibus, si Ecclesia latuisset? Chrysost. hom. IV. in cap. VI. Isa. ait: *Facilius est solem extinguere, quam Ecclesiam obscurari.* Certe nec in maximis persecutionibus latuit vera religio, ut patet in martyribus et confessoribus tempore persecutionis. Et qualis est illa Ecclesia, quæ ob metum persecutorum vel adversariorum latet retro fornacem, nec audent prospicere? Quinto, sic miserius fuisset Ecclesia Christi omnibus synagogis et aliis sectis, quæ prodire audebant.

Si dicas, novam esse, vel apostolorum tempore fuisse et durasse aliquantum, sed post desiisse, ut fatentur centuriat. in II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. cent. tertio et quarto sæculo, sequitur Ecclesiam Dei illo intermedio tempore omnino periisse. Illud autem dicunt et fatentur Lutherani in eo, quod nuper primum jubileum suæ religionis solemniter celebrarunt, et in foribus suis scribere solent: *Anno tali illuxit huic urbi lumen verum evangelii, superstitione depulsa.* O insani! Scrutamini Scripturas: an non legitis, quia Ecclesia Christi super petram fundata est, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam? Igitur solvant hoc dilemma: vel ipsorum religio fuit ante Lutherum et Calvinum, vel non; si non, ergo non est religio Christi, quæ tam vetus esse debet, quam ipse est: si fuit, tunc vel manifesta, et hoc nequeunt ostendere ut sup. vel occulta et hoc etiam non potest esse ut suprad. Quare recte moneo S. Hieronymus, in dial. contra Luciferianos in fine, in ea Ecclesia manendum esse, quæ ab apostolis fundata est et durat in hodiernum diem.

Ridere igitur merito illos possumus et cum Tertulliano, lib. de præscript. dicere: « Qui estis vos? Unde et quando venistis? Unde

modo proditis? Ubi latuistis tamdiu? Nunquam hactenus de vobis audivimus: » et cum S. Hilario: « Sero venistis, nimis tarde surrexistis. Jam olim didicimus quid de Christo et Ecclesia et sacramentis credere debeamus. Non bona suspicio est, quod nunc primum apparetis, siquidem bonum frumentum, non post, sed ante zizania seminatum et natum est. » Hæc ille. Et cum S. Hieron. ad Pamach. et Ocean. « Quisquis est, assertor novorum dogmatum; quæso te ut parcas Romanis auri-bus, parcas fidei quæ apostolico ore laudata est. Cur post annos 400. docere nos niteris, quod antea nescivimus? Cur profers in medium quod Petrus et Paulus edere noluerunt? »

Secundo, quia caret successione. Lutherus et Calvinus, ipse primus, nulli succedens: *Et a seipso incipiens* (ut B. Cyprianus de Novatiano loquitur) novum hominum cœtum congregare cœpit. Atqui nisi per hanc successionem continuam legitimorum pastorum jungatur cum illa Ecclesia, quam Christus fundavit et apostoli propagarunt, nequaquam potest constare sicut nec palmes qui trunco non est insertus, nec alteri ramo ejusdem trunci. Habemus nos successionem pontificum et omnium episcoporum: non illi. Quis enim ante Lutherum fuit patriarcha Lutheranorum? Quis Calvinistarum ante Calvinum? Ita S. Optatus Milevitanus contra Parmen. scribit: *Vos vestræ cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.* Unde ipsis potestas ordinis et jurisdictionis, ut ipsi eam sibi usurpent et aliis conferant? Si dicant non esse necessarium ut ab alio acceperint; contradicunt toti Ecclesiæ, quæ nullum unquam episcopum sine ordinatione recepit aut episcopum esse credit. Hinc patres contra hæreses semper urgebant hanc successionem, uti Tertullianus, l. de præscript. adv. hæret. Hieronymus contra Luciferianos; Augustinus contra epistolam fundamenti; Irenæus, l. III. c. III. Epiphanius, hæresi XXVII.

Tertio, quia caret missione. Hæc autem necessaria, ad Rom. X. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Ad Heb. V. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Ratio quia alioquin ingens fieret confusio, si cuivis pro libitu liceret prædicare, sacra administrare, gubernare, reformare, etc. Non possunt autem ostendere suam missionem, ut alibi demonstravimus. Et certe si nihil aliud credendum, nisi quod in ss. litteris scriptum est, ut ipsi asserunt: ubi in iis ostendunt se a Christo missos? Novorum dogmatum assertores miraculis demonstrare suam missionem debent, uti Moyses, Christus. Ostendant hæc et

ipsi : Baptistam scimus miraculum non fecisse, spiritu tamen prophetiæ claruisse et a Christo commendatum, vitæ sanctitate clarum : denique morum tantum correctorem fuisse, non fidei doctorem.

II. Quia caret bona disciplina et societate navigantium, hoc est, caret vitæ probitate et perfectione morumque honestate. Atqui Christus dixit, ex fructibus cognoscendam arborem, Matth. VII. Considera, ergo mores hæreticorum (si vis in veræ fidei cognitionem devenire) non speciatim, (quia in omni fide aliqui sunt mali) sed generatim.

Primo, eorum dogmata excludunt bona opera et vitiiis januam aperiunt. Bona opera excludunt, dum ea peccata esse dicunt, ex natura quidem sua mortalia, ex misericordia vero Dei venialia. Et tamen Christus ad ea nos tanloperere hortatus est. Quod si peccata sunt, annon præstat ea intermittere, quam facere? Idque dicendum, licet dicatur, requiri bona opera tantum, ut fructus vel signa fidei; ad quid enim necessaria hæc signa, si peccata sunt? Et qualia hæc signa fidei, quæ peccata sunt? Quales fructus? Numquid potest bona arbor (fides) malos fructus facere?

Vitiiis vero januam aperiunt, quia Deum auctorem peccati faciunt, negant libertatem arbitrii, negant præcepta decalogi servari posse ac debere, docent sola fide hominem salvari; quam qui non perdit damnari nequeat. Calvinus item infernum fingit imaginarium tantum esse terrorem, etc. Quis ergo non libere peccet? Quis non potius furetur, quam stipem largiatur? Inebrietur se quam jejuset? Quis oret potius quam blasphemet?

Secundo, excludit studium perfectionis: quem tamen Christus adeo commendavit, uti paupertatem et obedientiam, Matth. XIX. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus et veni, sequere me*: castitatem et virginitatem ibid. *Sunt eunuchi, qui seipsostraverunt propter regnum Dei, etc.* Nec dubitandum eos veram fidem habere, qui in vita et moribus quam maxime imitantur Christum: Christus autem cælebs, obediens usque ad mortem, pauper ipse jejunavit, in orationibus pernoctavit. Hæc omnia non reperiuntur apud Lutheranos et Calvinistas, quinimo irridentur ab illis, monasteria profanantur, religiosi nubere jubentur, etc.

Tertio, consequenter etiam caret viris sanctis. Non est autem illo pacto credibile eam sectam esse veram, quæ neminem ad perfectionem duxit: nullum vero ipsi nominare possunt: imo ipsimet eorum fundatores, Lutherus et Calvinus, homines spurcissimi fuere et innu-

meris vitiiis addicti. Quis igitur cum istis vivere et mori audeat? *Moriatur anima mea morte justorum*, aiebat Balaam, *et fiant novissima mea horum similia*. Sed nemo adhuc prudens mortem Lutheri et Calvinii sibi optavit. Multi etiam ex illorum sectatoribus, licet eorum scripta commendent, mores tamen et vivendi rationem abominantur. Omnes sancti quotquot in factis et historiis reperiuntur, nostri sunt.

III. Quia caret acu nautica et temone ad dirigendam navem, id est, caret certa fidei regula. Rejiciunt enim traditiones, Concilia, patres. Solam Scripturam dicunt esse regulam, quæ tamen sola non sufficit. Primo, quia unde constat hunc librum esse veram S. Scripturam, alium non esse? Secundo, quia Scriptura variis modis exponi potest; unus sic exponit, alius aliter. Tertio, quia omnes sectæ utuntur Scriptura et ex illa confirmant sua dogmata: non est autem sufficiens competens iudex ejusmodi iudicium putatur utrique parti rem adjudicasse. Sicut etiam ineptirent litigantes qui nullum alium iudicem admittere vellent, quam codicem Justiniani, qui in utramque partem exponi possit. Quarto, quia experientia constat controversias illorum in hodiernum nunquam finiri, sed magis augeri: ipsos contra se mutuo insurgere et dividi unam sectam in plures. Lutherana hodie in tredecim sectas scissa est: Calvinistæ alii protestantes, qui supremum caput agnoscunt magistratum sæcularem, etiam mulier sit: Puritani, qui hoc rejiciunt: Anabaptistarum quatuordecim sectæ nominari possunt: imo quot private interpretationes Scripturæ, tot sectæ inter ipsos. Nos sequimur interpretationem ss. patrum et Ecclesiæ: et in dubio consulumus supremum ejus pastorem cui promissum a Christo, quod non deficiet fides ejus: *Loquimini ad petram et illa dabit aquas*, Numer. XX. ait Deus, petra autem a Christo vocatur Petrus.

IV. Quia caret bonis navarchis Lutherus et Calvinus: navarchi Lutheranorum et Calvinistarum, auctores sectarum, malæ vitæ et notæ perversitatis fuerunt. Lutherus monachus et per quindecim annos sacerdos, desertor religionis desertrici adhæsit sacrilege, et matrimonii actum tam necessarium esse dixit, ac edere, bibere, dormire, lib. de vita conjugali. item si uxor nolit, vocandam ancillam, serm. de matrim. Sacrilegium illius nonne majus est adulterio? Et nonne plus est frangere fidem datam Deo, quam marito aut uxori? Secundo, superbia ejus patet ex eo quod cum speraret indulgentiarum promulgationem per Germaniam Augustinianis (quibus antea sæpe committebatur) adeoque sibi etiam committendam:

contra vero Prædicatorum ordini commissa sit, incipit mox contra indulgentias furere e cancellis et plures in d-ns errores contra papam addere, ut testatur ocellatus testis Joan. Cochleus, in actis Lutheri, anno 1517. Hoc initium doctrinæ et religionis: idem in ep. ad Argentoratenses scribit quod libentissime negasset præsentiam Corporis Christi in eucharistia, tantum ut majus damnum papatui dare posset, nisi Scriptura tam clare contradiceret: in l. de formula missandi scribit, quod si Concilium aliquod permetteret aut præciperet communionem sub utraque, ipse in odium et dedecus illius, vellet uti tantum una aut nulla: in l. contra regem Angliæ scribit reges, principes et papas indignos esse qui sibi corrigiam solvant, se velle sanctum haberi, nolint velint homines: ib. ait se non magni aestimare mille Cyprianos, mille Augustinos: item christianos reges, principes, et imperatores nominat tyrannos, stultos, moriones, bestias, carnifices, etc.

Calviui vitam plenam gravissimis sceleribus describit Hieronymus Bolsecus et Julius Brigerus. Inter alia ille c. V. et iste, p. LIX. scribunt eum propter sodomiam igni fuisse adjudicatum Novioduni, adeoque comburendum, nisi episcopi illius loci precibus, vita donatus, et pœna commutata, cauterio in dorso ferro ignito deformatus, virga ex urbe pultus tussisset. Ejusdem superbia deprehenditur passim in ejus institutione, qui et sæpius pro concione dicebat se prophetam esse, spiritum Dei habere et si erret, a Deo falli et decipi, etc. Quis credat Deum per tales nequam voluisse promulgare suum evangelium, reformare Ecclesiam? Quis non merito istos pro lupis et seductoribus habeat? Aliter sane fecerunt et locuti sunt apostoli et patres. Calvinus adhuc cælebs scribit, epist. CLXXI. se si uxorem ducat (ut postea duxit) non alia mente ducturum, quam ut Deo expeditius servire rebusque divinis commodius vacare possit. Contrarium fecere apostoli, et scripsit Paulus, 1. Cor. VII. Sed forte hoc voluit: melius esse nubere, quam sodomiam exercere. Jam vero nonne dixit Dominus: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos?* Annon apostolus dixit ad Galat. 1. *Licet nos aut angelus de celo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*. Si nec angelo vult credi aliquid novanti, quanto mirus tam spurcis nebulonibus?

Secundo, quia in doctrina inconstantes. Lutherus sacramenta ecclesiastica modo septem, modo tria, modo duo, modo unum tantum esse asseruit. Aliquando in Romani pontificis primatium nihil veri dici posse affirmavit: aliquando tam multa ipse contumeliosa dixit, quanta piorum aures ferre nequeunt. Joannem Huss, ali-

quando ut seductorem et hæreticum publice exhorruit, aliquando s. martyrem, et omnes ejus articulos catholicos et apostolicos appellavit. Tandem in libro de visitatione Saxonica omnem suam doctrinam evertit: asserit libertatem arbitrii ad facienda vel omittenda opera; non sufficere sine operibus solam fidem ad salutem; approbat bellum contra Turcam, quadragesimam, confessionem peccatorum, jejunia, missas, psalmodias, festa, excommunicationes, campanas, etc. quibus omnibus antea contraria docuerat et scripserat. Plures illius antilogias collegit Cochleus et alii: Calvinii antilogias refert Cocceius. Quis autem credat eos non melius a Deo illuminandos fuisse, si veri ejus apostoli fuissent? Quis crederet Paulo si vel semel mentitus fuisset, aut sibi contradixisset?

Tertio, quia pleni dolis et mendaciis, quibus sectam suam persuadere et firmare conati sunt: cum tamen vera religio his nec utatur nec indigeat. Ad seducendum ergo populum; primo, confingunt falsa et erronea nos docere velut; primo, nos adorare lapides et ligna, instar gentilium, adorare sanctos pro diis: secundo, nos adorare panem, cum tamen sciant nos firmiter credere in eucharistia non esse panem, sed corpus Christi: tertio, mentiuntur nos confidentiam et spem nostram non habere in meritis Christi, sed in nostris tantum operibus: quarto, nos docere, quod non per fidem sed per propria merita justificemur. Secundo, impingunt nobis ficta scelera, uti cædes regum et principum, proditioes, etc. viris præsertim religiosi quos oderunt, quæ tamen cito deteguntur et refelluntur. Tertio, pervertunt sacram Scripturam ad sua dogmata confirmanda, sic ad locum illum ad Roman. III. *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis*, Lutherus apposuit solum. Cumque de hoc interrogaretur, respondit, dicendum esse papistis, si propter hoc murmurent, papistam et asinum esse idem: « Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas: quia novimus esse papistarum discipuli, sed magistri, etc. » et iterum: « Lutherus sic vult, ille doctor est omnium doctorum in papatu. » Abstulit id apostoli Lutherus: « Ut abstineatis vos a fornicatione, » quia scilicet male cohærebat eum suo dogmate: « Si nolit uxor, veniat ancilla. »

Idem ad locum II. Petri 1. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis*, omittit illud: *Per bona opera*: idem Psal. LXXV. ad illud: *Vovete et reddite Domino Deo vestro*, glossat: *Habete Dominum pro Deo vestro*: ad locum Proy. XXXI. *Mulierem fortem quis inveniet?* apponit hanc glossam, nihil melius, quam mulier super terram, etc. ad locum 1. Cor. IX.

Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi? apponit: Sororem circumducendi in mulierem? Zwinglius pro illo Matth. XXVI. Hoc est corpus meum, reposuit: Hoc significat corpus meum. Calvinus vult Dominum joco tantum et illusive dixisse juveni illi cupienti salvari, Matth. XIX. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: idem locum ad Heb. V. Exauditus est pro sua reverentia, vertit pro suo metu et dubitatione, dicens apostolum indicare per hoc, quasi Christus ob mortis metum in quamdam desperationem salutis inciderit. Secuti in hoc plures discipuli magistros suos. Quarto, loca obscura Scripturarum et patrum, ut plurimum, adducunt et in copia quidem, quibus obiter patres locuti, etc. et variis modis capi et sensibus pluribus intelligi possunt: clara vero loca relinquunt, nec afferunt quia ab iis feriuntur: quæ si contra eos adducantur, dicunt: Patres errasse, se vero id clare ex verbo Dei videre; siquidem ipsi spiritum habeant, etc.

Quarto, quia inter se discordes, non secus ac structores turris Babylonicæ. Quemadmodum enim chamæleon, ut aiunt, omnium rerum colores assumit, præterquam album: ita hæresis omnes amplectitur opiniones, præterquam veram. Paucas e plurimis illorum discordias videamus e Florimundo, l. II. de orig. hæ. cap. X. « Lutherus ait, aquam baptismi necessariam esse ad salutem; Bucerus in commentariis super Matth. negat: Lutherus scribit exorcismos et abrenuntiationes in baptismo meras esse superstitiones; Brentius e contra in statutis ecclesiasticis ducatus Wirtembergici eosdem super creaturis usurpandos tradit: Lutherus in assertionibus suis et libro de captivitate liberum omnino tollit arbitrium; Melanchthon vero in locis communibus, anno 1552. editis docet, horribilis mendacii et Manichæorum insanie illos se participes facere, qui aiunt hominem omnino plane libera voluntate destitutum: Lutherus in suis declarationibus affirmat bona opera mereri præmium tam in hac quam in futura vita; at apologia Augustanæ confessionis et Bucerus scripto ad Concilium Tridentinum, contrarium docent: Lutherus matrimonium virginitati; Melanchthon virginitatem matrimonio præfert: Lutherus papam antichristum esse asserit; Bucerus e contra in locum illum D. Pauli ad Philippenses scribit, eas notas quæ antichristo tribuuntur, papæ non convenire. »

V. Quæ navis eorum ex veteribus et putridis asseribus compacta est; renovat enim vetera dogmata jam olim damnata, nec aliud est quam cento ex obsoletis assumptis confectus. Primo enim, libertatem arbitrii quem negant Lutherus et Calvinus, negavit etiam Simon magus, ut est

apud Clem. l. III. recognit. Valentinus, teste S. Augustino, hæresi XI. Manichæi, teste eodem hæresi XLVI. Secundo, docet etiam Deum esse auctorem peccati, et cogere homines ad peccata, etc. Hoc idem docuit Simon magus, teste Vincentio Lirinensi, et Florinus, apud Euseb. tomo V. capite XX. Tertio, ambo docent bona opera nil prodesse, fidem sufficere: hoc idem docuit Simon magus, teste Irenæo, lib. 1. cap. XX. Eunomiani circa annum Domini 360 apud August. hæ. XIV. Quarto, peccatum non nocere fideli, ambo docent: hoc ipsum etiam Eunomiani apud August. hæ. LIV. Basilides et Carpocrates apud Irenæum, lib. 1. cap. XXIII. Quinto, Calvinus negat præsentiam Christi in eucharistia: hoc docuit etiam Berengarius circa annum Domini 1081. quod tamen revocavit. Post 200. annos ipsum secuti Lollardi, apud Trithem. in chron. Hirsaug. ad annum 1312. postea Wiclefus, postea Zwinglius, cum quo sensit Calvinus. Sexto, ambo rejiciunt traditiones, solam Scripturam recipiunt: hoc etiam docuere Ariani apud August. l. 1. contra Max. cap. II. et ult. Nestorius, Dioscorus, Eutyches, ut est in VII. Synodo, act. I. Septimo, ambo negant sacramentum penitentiae et confirmationis: hoc etiam docuere Novatiani, apud Cyprianum, l. IV. epist. II. Theodoret. l. III. hæ. fab. Octavo, ambo docent Ecclesiam continere tantum probos homines, et prius visibilem fuisse, postea vero usque ad ipsorum tempora latuisse: hoc etiam docuerunt Donatistæ, apud August. l. de unit. Eccl. cap. II. Nono, ambo docent non esse orandum pro defunctis, quadragesimam non servandam: hoc etiam docuerunt Ariani, teste Epiphano, hæres. LXXV. Aug. l. de hæ. c. XXXIII. Decimo, ambo negant venerationem reliquiarum, imaginum sanctorum, et vocant idololatriam: hoc etiam fecerunt Vigilantius, teste S. Hieronymo contra Vigilant. Iconomachi, apud Zonaram, Cedr. Niceph.

Jam vero quid ait Scriptura? *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit, et ædificaverit civitatem Jericho*, Jos. VI. civitatem videlicet illam, solo æquatam et anathemati subjectam. At quid aliud sunt hæreses, nisi structuræ dæmonis, anathemate percussæ, et jam dudum damnatæ atque in orbem missæ? Maledictus ergo, qui eas eruderat ac rursus in lucem producit.

VI. Quia nimis parva et angusta, ideoque a fluctibus facile absorbetur, ab hostibus quoque expugnatur. Hujusmodi est secta Lutheri et Calvinini, nimis inquam angusta et in uno tantum alterove hærens angulo. Vera autem Ecclesia debet esse catholica, ut vocatur in Nicæno symbolo; catholica vero dicitur, quod per totum terrarum orbem diffusa sit secundum August.

epist. CLXIII. Quare videns Lutherus Ecclesiam suam non esse catholicam, symbolo apostolico vim intulit, et pro catholicam, substituit christianam; siquidem evangelii Lutherani et Calviniani sonus nequaquam exiit in universam terram, quemadmodum catholici. Lutheranismus nullum adhuc mare transiit, in uno septentrionalis angulo hæret, nec totum pervasit. Anno 1530. confessioni Augustanæ non plures subscripserunt Germaniæ principes quam septem, videlicet Joannes elector Saxonie, Georgius marchio Brandenburgensis, Ernestus dux Luneburgensis, Franciscus dux Luneburgensis, Philippus Landgravius Hassorum, Wolfgangus princeps ab Anhalt: cum tamen universim sint plures quam septuaginta. Ex civitatibus imperialibus quæ itidem plures quam septuaginta sunt, non plures quam duæ, Norimberga et Reutlinga. Non hodie multo latius se explicavit, quæ vix se conservare potest, et paulatim a Calvinismo devoratur, uti vipera a partu proprio enecatur.

Vera Ecclesia debet esse ut arca Noe capacissima et omnis generis animalia continens. Vocavit quidem Christus suos pusillum gregem, sed apostolos tantum et prima Christianorum germina: postea autem grex ille crescere debuit super omnes alios, juxta parabolam illam de grano sinapis (quod minimum quidem est omnibus seminibus; satum vero crescit, et fit majus omnibus oleribus) et extendere ramos suos per totam terram; non quidem quod Ecclesiæ arbor orbem totum implere debeat, sed quod ramos suos in totum orbem extendere: licet inter ipsos ramos sint quædam vacua spatia, uti hæreses, Judæi, gentiles aliqui, ut venientes undique volucres, id est, nationes habitent in eis; hæreticis autem in uno septentrionis nidulo sedentibus et in plurimas sectas divisas dicere possumus id Augustini, lib. de utilit. credend. c. XIV. *Vos autem et tam pauci et tam turbulenti et tam novi, nemini dubium est, quin nihil dignum auctoritate præferatis*. Advertit hoc Luth. fæx, et ideoque in orientem propagare volens hæresin suam, misit articulos suos ad patriarcham Constantinopolitanum approbandos, sed ab eodem condemnati et solidis rationibus confutati sunt. Denique, nullum usque in hanc diem habuere imperatorem suæ sectæ per annos 1300. quibus imperio præfuerunt christiani imperatores. Quod evidens argumentum est ipsos esse novatores ab Ecclesia Christi excludos.

Tandem si ipsorum navis veræ Ecclesiæ navis est, sequuntur innumera absurda. Primo, damnatos esse omnes, quotquot fuerunt, catholicos, sanctos martyres, confessores, virgines, quia senserunt cum Ecclesia catholica, nec habuerunt specialem illam fidem, quæ certificat de salute,

sed cum timore et tremore operati sunt ad salutem suam. Neque hoc negat Lutherus, sed gloriatur se invenisse veram rationem salutem consequendi. Ergo tot annis frustra prædicatum est, frustra tot baptizati, tot bona opera facta, frustra martyres passi, tot sacerdotes et episcopi ordinati et operati sunt, frustra tot Concilia habita, frustra tot gentibus prædicatum, tot præcones in orbem missi a sede Romana, frustra tot ordines instituti, tot monasteria fundata: denique, Ecclesiam nullum adhuc habuisse fidelem imperatorem, quia nullus adhuc fuit Lutheranus aut Calvinista: quantæ hæ insanie? Quid ergo vos hæretici, quid respondebitis Christo judicii die? Quomodo visis tot argumentis non potuit vobis non suspecta esse religio vestra, etc.?

CONCIO IX.

DOCUMENTA.

I. A turba discitur fervor in audiendo verbo Dei. — II. A discipulis: 1. Æquanimitas in adversis. 2. Sine Christo nihil recte fieri. 3. Confidere in vero. 4. Obedire Deo. 5. Proximo subvenire. — III. A Christo: 1. Mansuetudo. 2. Potentia. 3. Liberalitas.

THEMA.

Sedens docebat de navicula turbas. Luc. V.

Mirabile suggestum elegit sibi Dominus ad dicendum in hodierno evangelio, naviculam inquam in mari fluctuantem. Et quamquam ad hoc compulsus est populi multitudinē in se irruentis, nihilominus tamen fateri debemus, facile potuisse Dominum, si voluisset, locum pro concione in terra sibi deligere. Non caret igitur mysterio hæc nostri magni concionatoris cathedra. Ac meo quidem judicio videtur mihi Dominus per hoc instruere, et quodammodo investire voluisse verbi Dei præconem. Quid enim mare designat, nisi sacram Scripturam, cui velut basi insistere concionator debet? Quid navicula in mari, nisi ejusdem Scripturæ explanationem et intellectum ab Ecclesia catholica et sanctis ejusdem patribus receptum, intra quem constrictus sese continere debet Ecclesiastes, ne alioquin cum hæreticis pro suo libitu Scripturam explanantibus, mergatur et suffocatur in sacrarum litterarum mari. Navicula a terra abducta quid aliud designat, quam doctrinam concionatoris, non terrenam sed cœlestem esse; eadem in mari libera et soluta indicat verbum Dei omnibus libere prædicandum, quia ut ait apostolus, II. Timoth. II. *Verbum Dei non est alligatum*. Eadem semper fluctuantis motum verbi divini et vivacitatem notat, qua primo concionator ipse motus auditores suos movet. Deni-